



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LXII. Cauense monasterium, in regno Neapolitano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

S. ANDREAE

Cænobium, in Castello Cameracesij, quinto lapide à Cameraco.

COenobium istud in Castello Cameracesij (quod episcopus est ditionis Cameracensis) situm, à fundamentis inchoavit, et anno millesimo vicesimo primo dedicavit Gerardus, eo nomine primus, Cameracensis Episcopus, eiusque successor Lietbertus perfecit, ut eius loci monumenta testantur.

Quiescunt isto in cænobio S. Maxellendii Virgo et martyr, itemque S. Sarius presbyter, quorum reliquias idem Gerardus Episcopus Cameraco honorificè istuc transtulit. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

CAPVT LXII.

Cauense monasterium, in regno Neapolitano.

CAuense S. Trinitatis monasterium in Metelliana Caua, septimo à Salerno milliari, constructum est à S. Alferio, primo illius loci Abbate, circa annū 1050. ut Ioannes Capuanus Abbas in huius vita tradit. Ab hoc monasterio nomen habuit Congrega-

grega-

gregatio Cauensis, illo in tractu olim celebris. Vide Vvionum Lib. 5. Ligni Vitæ cap. 11.

CAPVT LXIII.

S. Martini de Campis monasterium, in vrbe Parisiensi.

Henicus eo nomine primus Rex Gallix anno 1056. cœpit instaurare ac reedificare monasterium *S. Martini de Campis*, tunc extra, nunc intra muros vrbis Parisiensis situm: vt Guilielmus Nausiacus in sua Chronographia, & Gaguinus lib. 5. testantur.

1056.

Anno 1060. diploma dedit, in quo hæc inter alia leguntur. *Ante Parisiacæ vrbis portam in honore Confessoris Christi Martini Abbatia fuisse dignoscebatur, quam tyrannicâ rabie (quasi non fuerit) omnino deletam ab integro amplioem restitui, Canonicos regulari conuersatione ibidem Deo famulantes attitulaui: Et paullò post; Canonici etiam hanc potestatem habeant, vt Abbate obeunte, assensu fratrum, boni testimonij virum, nemine perturbante restituant.* Ex his constat ante Henrici I. tempora fuisse hoc in loco monasterium Abbatiale, quod cum instaurandum curasset, Abbatem & canonicos regulares ordinis S. Augustini in eo collocauit.